

ponenda, nec semper habenda est in manu, sed breui abiicienda; ex quo monebat magistratus D. Gregor. Nazianz. orat. 27. *Aulici proceres, ac sublimioribus thronis, & dignitatibus insignes ne ob potentiam magnopere animos efferatis, ne de mortalibus rebus, tanquam de immortalibus cogiteris.* Expende illud: *tanquam de immortalibus cogiteris.*

Nazianz.

38.

Exod. 4.

Cogitet praelatus sui muneris finem.

Maximus.

Adhuc insisto in eadem virga ad Moysen. *Dixit Dominus, extende manum tuam, & apprehende caudam eius, extendit, & tenuit, & versa est in virgam.* Exod. 4. n. 4. Virga in signe potestatis, cur nouo principi electo precipit Deus apprehendere caudam, seu illius extremitatem, cur non potius caput, vel medium? vt denotaretur, quod Princeps, seu gubernator denuo institutus sic apprehendat virgam iurisdictionis, vt illius extremitatem, ac finem consideret, sicque ad virgam extendat manum, vt intelligat, quod aliquando ad metam, ac illius finem deueniet. D. Maxim. ferm. 9. de magistrat. *Principem, ait, trium meminisse oportet, primum se hominibus imperare: alterum ex legibus imperare debere: tertium, se non semper imperaturum.*

QUESTIO VI.

Quare nullus ex agricolis tanta iniquitati aduersatur, sed omnes conueniunt ad occidendos seruos Domini sui?

39. Si lucrum apparet, omnes iniquitati consentiunt.

MAGNA extitit iniquitas agricolarum, qui videntes seruos Domini sui, alios verberarunt, alios interfecerunt, aliosque lapidibus obruerunt; Cur non est aliquis ex agricolis, qui tanto facinori resistat, ac aduersetur? omnium lucrum, ac emolumentum in hac re videbatur interuenire, & ideo omnes consentiunt, & nullus est, qui contradicat.

40.

Gen. 37. Ex proprio lucro venditur a fratribus Ioseph.

Cum fratres videntes Ioseph, ipsum cogitant interficere, *Venite occidamus eum.* Gen. 37. num. 20. vnus eis se opponit Ruben dicens: *Non interficiatis animam eius, nec effundatis eius sanguinem;* at verò cum sermo est de venditione in Aegyptum, omnes consentiunt, & nullus est, qui repugnet; *Et pratercuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis.* Ibidem n. 28. In nece contradicit Ruben, cur etiam in venditione non est alius, qui se opponat? In venditione omnium erat lucrum, pecuniaque ex illa accepta per omnes diuidenda erat, & hæc obrat os, ligatque manus, ne aliquid fiat, vel dicatur auro comparando repugnans.

41.

Homo audax vt suam iurisdictionem ac potestatem defendat.

Secundò. Agricolæ cum vidissent vineam suæ curæ, ac iurisdictioni traditam, se dominos illius existimabant, & ideo tam seuerissime se gerunt aduersus seruos Domini sui, Maxime agricolarum feruet ardor, ne ipsi à suo loco deturbentur, & alius in eum introducat. Quid non faciat homo, vt innaorem suæ potestatis retundat, neve aliquid sui muneris deperdat, cum vniuersiue ingenium sit suam dignitatem amplificare, & totis viribus intendere, ne in aliquominuatur.

42.

Fortissimus dux Iosue pugnabat contra Amorrhæos, qui Israëlitarum impetum ferre impotes, terga vertunt, magnòque conatu insequuntur Israëlitas, sed cum sol vergeret ad occasum, veter Iosue ne tenebrosa nox felicem victoriæ cutsum perturbet, ac impediatur: generosa voce cæli-

tibus luminatibus sic imperat. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon: steteruntque Sol, & Luna donec visceretur se gens de inimicis suis.* Iosue 10. n. 12. Quod magnus dux solis lucem exoptet, res est facilis intellectui, sed ad quid lunam auxiliarem vocat stante sole, cuius luce longior fiebat dies, ad quid vltra requiritur luna? Deus creauit hæc duo luminaria; *Sol vt præset diei, & Luna vt præset nocti.* Gen. 1. num. 16. Vt ergo longior fieret dies, sol vltra suam ditionem in Lunæ ditionem, in noctis nempe spatium, debuit se extendere: vt ergo Luna in iurisdictionis negotio, ne multum durè ferat, alteri præfidi cedere, ideo illam auxiliarem aduocat, illique de victoriæ gloria adulat, dum illam tanti triumphi participem facit, vt iurisdictionis suæ iuri tantisper cedat. Vide supra cap. 36. n. 17. & 18.

Iosue 10.

Inuocatur Luna ne durè ferat Solem se introuertere in spatium suæ iurisdictionis. Gen. 1.

QUESTIO VII.

Quare post tot seruos occisos Pater mittit filium suum, dicens: Verebuntur filium meum?

IN limine quæstionis tria in hoc excellentissimo Patre, triaque in hoc illusterrimo filio noto. Et primo in Patre. Quia quamuis ei tot iniuriæ essent irrogatæ in suis seruis, semper in agricolas maiora beneficia parat: Mittens nunc filium suum. Secundò semel, & iterum res malè cessit, & tamen non destitit à proposito, quod semel intentauerat. Tertio. Iniurias, quas intulerunt agricolæ in suis seruos dissimulat; nec semper vnus casus sinister alterius deterioris est prælagium.

43.

Nec semper vnus casus prælagium est alterius.

In filio primò noto. Poterat ille obicere Patri: seruos tuos immanissimè interfecerunt agricolæ, nec mihi parcent, nihil eorum opponit, sed illicò descendit, ac venit Patri obediens, & hominibus succurrens. Secundò. Præclara filij generositas, serui prius missi fuerant, & tamen filius cum esset tantarum rerum hæres, non grauatur, nec dedignatur obire officium, ac fungi legatione prius à seruis præstita, ac facta. Tertio. Venit filius non tam quærens fructum ab agricolis, sed potius vt pro illis solueret, ac satisfaceret, vt ait Chrysostomus citandus. Ad quæstionem

44.

Chrysof.

Primò. Respondet D. Chrysostomus in Imperfecto homil. 40. post medium. *Dei misericordia quanto magis à Iudeis offendebatur, tanto amplius addebatur in eis: misit paucos seruos; quibus occisos addidit bonitatem, cum debuisset irasci, & misit plures; Item pluribus interfecit, accumulauit bonitatem, & misit filium suum, & hunc non quasi ad obnoxios pœna sententiam basulantem, sed patientia veniam, fortè verebuntur filium meum. Ergo misit confundere illos non autem punire.* Pondera sequentia verba. *Nam pro tantis, benigno Domino sufficiebat sola vindicta pudoris.* Bonus Paterfamilias pro fructibus vineæ reddendis, illud vnum volebat antea omnia ab agricolis, vt ad conspectum filij rubore suffunderentur. *Verebuntur filium meum:* pro multis virtutum fructibus, quos agricolæ tenebantur reddere Domino suo, illius primitias saltem volebat Paterfamilias, nempe pudorem, neque enim desperari poterat de reliquis fructibus reddendis in eis, qui primitias per pudorem offerebant.

45.

Verecundia exordium virtutum est.

offerebant. *Nam pro tantis benigno Domino sufficiebat sola vindicta pudoris.*

46.

Ambros.

Rom. 6.

Vnde eleganter ait D. Ambros. lib. 2. de Cain, & Abel, cap. 7. *Quanta pudoris gratia, vt iustitiam teneat verecundia, quam culpa reatus abstulerit.* Scribens Paulus ad Rom. 6. n. 2. i. ait, *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* In quo maxime notandæ veniunt illæ particulae, *Tunc, & Nunc;* illa enim prior statum peccati indicat, posterior respicientiam significat. Cur tamen cum Apostolus ponit respicientiam erubescentiæ tantum meminit? Cur non potius pœnitentiam, vel dolorem exprimit? Scribit primum gradum conuersionis scilicet pudorem, cætera sub ipso intelligens. D. Anselm. *In illis, ait, vitiorum actibus: nunc cum sana mentis estis; sana etenim mens erubescentiæ præbet ad mala, verecundiamq; restem suæ pœnitentiæ profert.*

Primum gradus ad virtutes verecundia. Anselm.

47.

Oculus Domini frantum est domesticus.

Philo.

Secundò. Filius erat hæres vineæ, ac proinde illius tanquam Dominus. Mittit ergo Paterfamilias, dicens: *Verebuntur filium meum* præsumens, quod ex aspectu, ac intuitu filij reptimerentur, ac cohiberentur agricolæ à malicia, ac nequitia sua, oculus enim Domini frantum est domesticis, ac lectis suis. Philo lib. de Caio: *Nam, ait, si præceptorum, aut magistratum, aut parentum aspectus mouet ad reuerentiam, ac modestiam, suamq; presentiam vitam, & mores corrigit quantum putamus ad honestatem, ac virtutem contingere præsidium anime, si Deum aspectare didicerit.*

48.

Numer. 27.

Vt iudex rectè agat Deū cogitet præsentem.

Ex alto afflatu instituit Moyses, vt iudices ad ostium tabernaculi sedentes ius dicerent, & causas populi determinarent, vt rectè probant lites mulierum de hæreditate adeunda. *Quæ quidem steterunt coram Moysè, & Eleazaro Sacerdote, cunctisque principibus populi ad ostium tabernaculi,* Numer. 27. num. 2. Cur Moyses voluit vt ostium tabernaculi esset iudicij sedes, cum ipsum tabernaculum esset locus deputatus ad orationem, & cultum Dei? Cur ergo ei placuit vt illius ostium esset veluti impeditum strepitu caudicium, ac hominum confluentium ad iudicium? Quamuis Deus vbique sit præsens, vt recta fides monet, peculiariter tamen Deus semper existimabatur præsens in suo tabernaculo. Ecce causa cur hic locus designatur ad iudicium; fieri enim non poterat, vt iudices in officio suo peccarent, qui se considerabant in oculis Diuinæ maiestatis. Deumque simul cogitabant peculiariter præsentem in suis functionibus. Abulens. q. 1. Ibi lites determinabantur, vbi Deum adesse constabat: *Vt principes, ait, Dei presentiam verentes, rectè in omnibus agerent negotia populi.*

Abulens.

49.

Apoc. 2.

Prælati sic agat, vt cognoscat Deū ad ipsum referre.

Rupert.

De Christo Domino est sermo: *Hæc dicit, Qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum,* Apoc. 2. n. 1. Cur Christus Dominus stare loco non vult, sed huc, & illuc procurfare? Septem candelabra septem Episcopos Ecclesiarum Asiæ denotabant; Inter hos non dicitur, quod Dominus steterit, sed quod procurfauerit, vt sciant præfules maxime ad eos diuinos oculos esse conuersos, multumque Deum ad eos attendere, an eorum fidei, ac rectæ operationis lumen in aliquo malignantis fumo sit obscuratum. Rupert. lib. 2. *Is ipse, ait, qui tenet septem stellas, easdem vigilanter attendit, ne forte pro ipsa claritate veniat alicui pes superbie. Cum ergo in medio candelabrorum ambulat, singulorum intrinet lumen quantum luceat, ne forte sine oleo charitatis, sine operibus dilectionis fumiget fides mortuorum.*

Ex hac causa idololatrantes, vt turpiter delinquerent, Deos ab hominibus abesse volebant, & ideo quidam Solem, alij Lunam adorabant: *Qui adolebant incensum Soli, & Lunæ,* 4. Reg. 23. n. 5. Vt qui adorabant Solem, audaciter noctu delinquerent, & qui colebant Lunam, impudenter die peccarent, vt sic fugientes oculos suorum Deorum, nullum esset cohibendi eos frænum. D. Cyrillus Catech. 3. *Alij quidem Solem ponebant, ait, vt nocte sine Deo essent; alij verò Lunam ponebant, vt die Deum non haberent.*

50.

4. Reg. 23. Iniqui fingunt Deum absentem.

Cyrill.

QUESTIO VIII.

Quare cum Paterfamilias bene sciret inuerecundiam Agricolarum: ait, vt scribit D. Lucas, Forstian verebuntur filium meum?

IVVS Lucas scribit in præsentem. Quod Paterfamilias dixerit: *Quid faciam? Mittam filium meum dilectum: Forstian cum hunc viderint, verebuntur.* Illa particula, *Forstian,* non ignorantiam, aut ambiguitatem dicit in præsentem, vt egregie notauit D. Hieron. *Forstian, ait, non de ignorantia venit. Quid enim nesciat Paterfamilias, quæ hoc loco Deus intelligitur?*

51.

Hieron.

Quare ergo vitur Paterfamilias illa particula, *Forstian?* Respondent D. Hieron. Beda, D. Anselm. D. Thomas, Glossa Interlinealis, quod dicitur, vt ostendatur libera hominis voluntas, nam reuereri, & non reuereri filium poterat. D. verò Chrysof. homil. 69. in Matth. *Quem sequuntur Theophylactus, Lyranus, Iansen, Caietan, Abulens. q. 184. astruunt, quod Paterfamilias hoc dixit, non ex ignorantia, sed vt declararet, Quid homines facere debebant, multam nempe reuerentiam Filio Domini sui impendere. Sic ait Theophyl. Non ignorans dicit, sed significare volens, quid facere deberent. Hæ interpretationes sunt ad literam. Moraliter nunc*

52.

Hieron. Beda. Anselm. D. Thom. Interlineal. Chrysof. Theophyl. Lyran. Iansen. Caietan. Abulens.

Theophyl.

Tertio. Bene viderat Paterfamilias seruorum insolentiam, ac obstinatam malitiam, videratque repetita flagitia in seruos, tamen tanta bonitate præfulgebat, quod adhuc de agricolis finitras plene suspiciones cohibeat; nec vltimam de agricolarum inuerecundia firmat resolutionem. Vide Verb. *Defectus,* in Indice.

53.

Sinistra opinioniones cohibenda.

Quarto. Certissimè, ac indubiè noscit Cœlestis Pater, quod suum Filium non verebuntur, sed irreuerenter occident. Noscit quidem, & indubiè id noscit. Prudentissimè tamen pro suæ auctoritatis decore proprias offensas ignorare videret: consultèque ipse, qui omnia scit, dissimulat se non scire. *Abit Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris sui, quod illum minime latuit,* Gen. 35. n. 22. Optime nouit Iacob tantum scelus contra se commissum; nam postea moriens Ruben maledictione perstrinxit. Tamen modò pro sui honoris causa, ita se agit, ac si ignoraret offensam, ne fortè dum punire vellet, crimen declararet, & se multa ignominia affectum ostenderet.

54.

Pro propria decore offensa dissimulanda.

Gen. 35.

Quinto. Bene sciebat Pater Agricolarum perfidiam, ac immanitatem, quod suum Vnigenitum non solum non reuererentur, sed etiam quod occiderent; tamen sub modo aliquali dubitationis fortè, loquitur, *verebuntur.* Licet enim illi tanti criminis

55.

ctiminis rei agnoscerentur, tamen cum ipsum nondum executioni mandassent, quasi sub iudice lis videbatur; voluit ergo Dominus in meliorem partem id accipere, & lux potius scientiæ, vt ita dicam aliquali modo, quam illorum existimationi detrahere; potiusque voluit nostro dicendi modo notam aliqualem in sua scientia imponere, quàm in eorum existimatione dum ante crimen perpartatum eos criminis reos diceret, ac publicaret.

Bonus Pater potius hæ scientiæ, quàm aliorum existimationi detrahat.

56. Matth. 15.

In vltima die sententia proferetur ab exactissimo iudice. *Discite à me maledicti in ignem æternum, qui parati estis diabolo, & Angelis eius, Matth. 25. n. 41.* Cur gehennalis ignis dicitur paratus diabolo, & Angelis? Nonne etiam paratus est (proh dolor!) hominibus, qui ob malitiam suam in illum coniciendi sunt, quod apertissime ipse Deus clarissime nouerat? Cur ergo etiam non dicitur paratus hominibus? Deus clarissime præuidet talem hominem futurum malum, & iniquum, quia tamen ipse homo à malo in bonum potest mutari, nunquam quidem reipsa mutandus, & quia homo valet virtutem amplecti, nunquam tamen amplexurus; ideo cum Dominus prædicat qualiter extremum iudicium futurum, & ignis proponitur præparatus ad supplicium intelligendum, non fit mentio de homine, vt semper ipse credat, & speret fore, vt supplicium euadat, & præmium obtineat. Iobius Monachus lib. 9. de Verbo Incarnato, q. 43. apud Pharium sua Bibliotheca: *Idcirco, ait, ignem diabolo, eiusque Angelis non autem hominibus præparatum scribit, quoniam in nobis non inopinata sit è malo in melius mutatio, cum illi confirmata sua voluntate nullam de se spem reliquam fecerint.* Vide quæ dixi de Zizania cap. 27. q. 12. tom. 5.

Ei certo agnoscat futurum iniquum, ante iniquitatem non damnandus.

Iobius.

Matth. 21. num. 38. Agricola autem videntes filium eius, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius.

Num. 39. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.

VERSIONES.

Syriac. n. 38. Hic est hæres, venite trucidemus eum, & obtinebimus hæreditatem eius.

Euth. Pagnin. Et occupemus hæreditatem eius.

D. Prosper. Nostra erit hæreditas.

Syriac. n. 39. Et comprehensum eum.

Pagninus. Eiecerunt ex vinea.

ALTER TEXTVS.

Marc. 12. n. 7. Coloni autem dixerunt adinnicem: Hic est hæres, venite occidamus eum: & nostra erit hæreditas.

Num. 8. Et apprehendentes eum,

occiderunt: & eiecerunt extra vineam.

Luc. 20. n. 14. Quem cum vidissent coloni: cogitauerunt intra se dicentes: Hic est hæres, occidamus illum, vt nostra fiat hæreditas.

Num. 15. Et eiectum illum extra vineam occiderunt.

EXPOSITIO III.



MPRII cum maioribus beneficiis afficiuntur, tunc peiores fiunt; Agricola seruos vulnerauerunt, ac occiderunt, cum fructus ab ipsis exigent; filium autem cum viderunt, statim interficere cogitant. Inuidorum conditio est, vt donis collatis nequiores fiant. *Agricola videntes filium*, venientem in vineam, ad exigendos illius fructus. Viderunt, & cognouerunt Iesum Christum esse Filium Dei, & omnia, quæ de Messia prædicta erant, in Scripturis, ac Prophetis omnino ad ipso adimpleta, quæ aperte ostendebant Christum esse Filium Dei, qui etiam testimonio Ioannis Baptistæ demonstratus fuerat, Ioan. 1. Sed tamen inuidia, ac odio seipfos excæcauerunt, nolueruntque veritatem sibi persuadere, ac intelligere, vt docent Abul. in hoc cap. 21. Matth. q. vlt. Caiet. 3. q. 47. art. 5. Suar. tom. 2. ad 3. part. disp. 31. sect. 4. & in præsentia Barrad. ac Luc. Burg. Nam si plena, ac perfecta cognitione Christi dignitatem cognouissent, vt ait Paulus 1. Cor. 2. n. 8. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent.* Inuidia tamen obcæcati Dominum gloria crucifixerunt.

Ioan. 1. Abulens. Caietan. Suar. Barradas. Luc. Burg.

1. Cor. 2.

58.

Hebr. 1.

Carthuf. Hugo. Ioan. 11.

Ioan. 12.

59.

Hieron.

*Dixerunt inter se.* Inter se mutuo loquentes: *Hic est hæres, vineæ, ac Filius vnicus Patris, quem constituerat Deus hæredem vniuersorum*, vt ait Paulus Hebr. 1. n. 2. Dicitur autem hæres, non quod Deo Patri mortuo esset successurus in regnum, sed quod dominium, regnumque Patris dono sibi fore perpetuum, nihil de Patris imperio derogans: *Venite occidamus eum.* Ad hoc referunt communiter interpretes Carthuf. Hugo, & alij; ad id quod dixit Caiphas Ioan. 11. n. 50. *Expedi vobis, vt vnus homo moriatur pro populo; nam ab illo die cogitauerunt eum interficere.* Et cum dicunt: *Venite occidamus.* Valde seipfos pessimos ostendunt, quia alios ad peccandum instigant. In peccata labi miserum; alios verò ad peccandum inducere miserum. *Et habebimus hæreditatem eius;* scilicet vineam, populum nempe Israeliticum, nam videbant Pharisæi vniuersum popululum Dominum sequi. Iuxta illud, *Dixerunt Pharisæi ad semetipsos: Videris quia nihil proficimus. Ecce totus mundus post eum abiit,* Ioan. 12. n. 19. *Assueranter dicunt: Habebimus hæreditatem.* Stulta sanè assertio. Nam Filio occiso adhuc remanet Pater, qui tenebit hæreditatem: remanet quidem, sed capti desiderio obtinendæ hæreditatis, id quod erat satis notum non cogitant, ac aduertunt.

*Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam:* hic Dominus prædicat suam comprehensionem, ac necem, quæ intra tres dies erat facienda. *Eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* D. Hieron. ait, quod significatur Christum eiectum à Iudæis extra Ciuitatem Ierusalem, & in monte Caluariæ crucifixum;

Chrysof.

Hebr. 13. Beda. Theophyl. Euthym. Abulens. Carthuf.

Irenæus.

erucifixum; quod etiam docet D. Chryostom. homil. 40. in Imperfecto: *Eiecerunt eum extra vineam, id est, extra ciuitatem Ierusalem.* Iuxta illud Pauli Hebræor. 13. num. 12. *Extra portam passus est.* Idem tradunt, Beda, Theophylactus, Euthym. Abulensis, Carthusianus, & alij. Dicitur ergo extra vineam eiectum, extra ciuitatem, & populum. Quia à Iudæis ereptus est Iesus, & transit ad Gentes, quæ erant extra vineam Israël. D. Irenæus lib. 4. cap. 70. *Quoniam, ait, Filium Dei reprobauerunt, & eiecerunt eum, cum eum occidissent, extra vineam in se reprobauit eos Deus, & extra vineam existentibus Gentibus dedit fructificationem cultura.* Cum Iesu sunt omnia bona, eiectus est ipse à Iudæis, simulque ab eis erepta sunt omnia bona: transtulitque se ipse ad Gentes, simulque cum ipso ad eas omnia bona defluerunt.

QVÆSTIO IX.

Quare Agricola cum Filium Domini sui recognoscant hæredem, ipsum volunt interficere?

60. Euthym.

**R**ESPONDET primò Euthymius: *Non occiderunt eum, ait, tanquam Dei Filium: sed occiderunt tanquam vineæ hæredem, sive tanquam regem Israël: aspicientes ad ea, quæ operabatur, miracula, cognouerunt apud semetipsos hunc esse, quem Propheta regem Israël annuntiauerant, consilium vero ceperunt, vt eum occiderent, & ita occuparent deinceps eius hæreditatem, hoc est, populum.* Existimat Euthymius Iesum fuisse cognitum à Iudæis, non vt Filium Dei explicite, sed vt Messiam, & regem Israël, totiusque populi hæredem, vt etiam tradit Lyranus in præsentia, & Sixtus Senens. lib. 6. annot. 98. Cum ergo Iudæi in Christo Domino temporalem dignitatem, ac hæreditatem auspiciantur, inde odia, ac bella contra eum amant, mutuòque se exhortantur; *Venite occidamus eum, & habebimus eius hæreditatem.*

Temporalis hæreditas causa vicarum, ac bellorum est. Lyran. Sixt. Senens.

61.

Gustatum ex fructu vineæ sibi quarunt.

Ioan. 12.

Ammonius.

Secundò. Constituant interficere filium, vt hæreditatem, ac vineam eius habeant; Vineæ nonne eis locata erat, ac illa tanquam sua vtebantur, ad quid volunt interficere filium? vt eius hæreditatem habeant? Vineæ eis locata erat, & cum ipsi ex fructu vineæ degustassent, iam non quiescunt, vt tantum eis vinea sit locata, sed hoc appetunt, vt in perpetuum vinea sub sua potestate tanquam res propria redigatur. Effuso vnguento à Magdalena in Christi obsequium; dixit Iudas: *Quare hoc vnguentum non venit trecentis denarijs, & datum est egenis? Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens ea, quæ mittebantur, portabat,* Ioan. 12. num. 5. Affectabat Iudas, quod mulier asportaret pecuniam, & non vnguentum ad Christi obsequium, cum hoc sit excellentius omni alio opere. Ammonius: *Reprehendit eam Iudas, ait, quod vnguentum obtulisset, & non pecuniam: nesciebat utique quid diceret. Munus enim, quod Deo offertur pretiosius esse debet, quam quod pauperibus erogatur.* Iudas cum latro existeret, valde præiucunda, ac delectabilia erant ei furta, quæ ex marsupio fiebant, ideo vehementer anhelabat, vt omnia ad marsupium deuenirent, vt inde ablata eriperet.

Tertio. Hæredem dicunt, ac agnoscunt, non vt illi honorem exhibeant, sed vt in eum insurgant, ipsumque percutiant, ac occidant. Vt somnium Nabuchodonosori soluerent, ac extricarent conuulsit fuerunt omnes sapientes Babylonæ propositis magnis præmijs, donis, ac honoribus si somnium indicarent, interpretationemque eius dicerent, cum his tamen sapientibus non sunt vocati Daniel, ac socij eius; postea verò cum Chaldæi magistri somnium non potuissent interpretari regi, ab eo egressa est sententia, vt omnes sapientes Babylonis perirent, ac interficerentur. *Quærebanturq; Daniel, & socij eius vt perirent,* Daniel. 2. num. 13. Ex his ergo patet, quod Daniel, ac socij eius vt sapientes habebantur; cur ergo quando primò ad regalem aulam introducuntur Magistri Babylonici ad magna munera, non etiam vocantur Daniel, & socij eius; modò verò cum ipsi sapientes ad necem, ac crucem coguntur, tunc Daniel cum socijs quaritur? Recognoscebantur pueri Hebræi sapientes, non vt honoribus afficerentur, sed vt interfectione, ac cruce opprimerentur; quos à sapientium honore excluderent, secum simul socios ad crucem habere volebant. D. Hieron. *Certe ipsi Chaldæi, ait, inuidentes gloria eorum, & scientia soli ingressi sunt, quasi soli premia percepturi, & postea in periculo voluerunt habere consortes, quos in spe gloria refutauerunt.*

62. Hæredem agnoscunt, non vt honorent, sed vt interficiant.

Daniel. 2.

Hieron.

QVÆSTIO X.

Quare tam crudeliter agricola insurgunt in Filium, vt eum occidant?

**R**ESPONDET primò D. Chryostomus in Imperfecto homil. 40. *Ex omnibus operibus eius, ait, cognouerunt eum Filium Dei esse, hoc enim significat dicens: Hic est hæres: tamen postquam introiit in templum, & animalia, quæ ad sacrificia vendebantur, foras eiecit, in quibus Sacerdotes auari tunc delectabantur, tunc precipue cogitauerunt eum occidere, dicentes inter se: si populus istum habuerit Deum, necesse est, vt dimittat consuetudinem hostiarum, quæ ad nostrum pertinet lucrum, & acquiescat offerri sacrificia iustitia, quæ ad gloriam Dei pertinent, si populus iste non erit possessio nostra, sed Dei.* Christum filium Dei, ac hæredem populi agnouerunt Sacerdotes Iudaici, dixerunt enim, *Hic est hæres, ac cum vidissent, quod ex templo animalia eiecerat, ex quibus habebant suum lucrum, statim aperto bello aduersus eum amantur.* Vbi enim amor lucri eos occupauit, illico animum tenaciter concipiunt Deum perdendi, nullum est tam execrabile scelus, quod lucri cupiditas non excogitet. *Si populus istum habuerit Deum, necesse est, vt dimittat consuetudinem hostiarum.*

63. Chrysof.

Auri amor Deo intentas inferre bellum.

Secundò. Idem Chryostomus datus supra q. 7. *Accumulauit, ait, bonitatem Deus Pater, & misit Filium suum, & hunc non quasi ad obnoxios pæne sententiam bailantem, sed patientiæ veniam.* Venit Dei Filius non ad pœnam inferendam, sed ad indulgentiam concedendam, & tamen ita sunt auaritia obcæcati, vt eum occidant, tantum nefas committere constituunt, vt raptis diuitijs exundent. Efficiat inquit homo de diuitijs acquirendis, quam quod crimina extinguat; plus enim cogitat

64. Chrysof.

Plus voluit homines diuitias acquirere, quam conscientiam mundare.